MONASTERIENSIS
EPISCOPATVS.

REgio Weſtphaliæ ſatis ampla, gregibus, quam hominibus alendis benignior eſt; ſilvis horrida, ac paludibus crebris fœda, veterem illam Germaniam referre videtur. Epiſcopatibus & Comitatibus frequentibus diſtinguitur. Epiſcopatus ſunt Monaſterienſis, Paderbornenſis, Mindenſis, Oſnabrugenſis, Verdenſis. *Termini.* Monaſterienſis ab oriente Oſnabrugenſem ſpectat Epiſcopatum, à ſeptentrione Comitatum Steinfurtenſem & Benthemienſem: ab occidente Cliviam, Zutfaniam, & Twentanos: à meridie Marchiæ Comitatum. Irrigatur à præſtantiſſimis fluminibus, Amaſi & Lippia. Carolus Magnus domitor Saxonum, & Romanorum Imperator, in Saxoniæ parte inferiore, quæ nunc audit Weſtphalia, inſtituit Epiſcopatū, quem vocavit Mimingerodenſem, vel, ut alii interdum vocant, Mimingardefurdenſem. Is vero à monaſterio illic exſtructo appellationem mutuavit, & abolito vetere nomine dictus eſt Monaſterienſis. Monaſterium illud condidit in honorem B. Mariæ Virginis Hermannus Epiſcopus, fueruntque ejus tanta protinus incrementa, ut nomen etiam priſcum obfuſcarint. Vrbs ſita eſt in planitie. Quinque habet Collegia ampliſſima, Scholam quoque litterarum & artium, ſatis celebrem. Qua natura, qua arte eſt munitiſſima, præſertim poſt furores Anabaptiſtarum, qui ſub Epiſcopo Franciſco, Comite de Waldeck, anno 1533 ingentes ob religionem tumultus excitarunt. Primus eorum autor fuit Bernardus Rotmannus, qui extra urbem ad S. Mauritium quum doceret, doctrinam Eccleſię Romanæ probatam, applaudente plebe, refutabat. Eum populus rerum novarum avidus in urbem recepit. Nec privata ejus inſtitutione contentus, petiit à Senatu templum. Interea loci venit in urbem ex Hollandia ſarcinator quidam Leidenſis, Iohannes, homo vanus, ambitioſus, audax, quique in patria Anabaptiſtarum doctrinam ſequutus, Doctoris animum ac confidentiam ſumpſerat. Venit quoque eodem Hermannus Stapreda, qui Rotmanni collega factus, cœpit ab ipſo diſſentire, & in parvulorum baptiſmum invehi. Hoc interdiu & publice, Ioanne privatim & nocte, plebis animos impellentibus, magna ad ſectam facta eſt acceſſio: Senatus jam tunc imminentem nubem prævidens, quum crederet capitibus ſemotis cætera facilius componi poſſe, jubet autores ab urbe proficiſci. At illi porta una egreſſi alia regreſſi ſunt, magno animo adſerentes, ſibi à Deo mandatum, ut cauſam veritatis ſerio agerent. Vbi hoc non ſucceſſit, alia via Senatus rem tentat. Evocat in Curiam Doctores Euangelicos & Anabaptiſticos, ratus, penes illos, ſi committerentur, fore victoriam. Quum conveniſſent, Rotmannus deſertis partibus, aperte Anabaptiſtis ſe jungit, & infantium lavacrum exſecratur, fruſtra eum increpante collegâ Buſchio. Præter opinionem accidit hoc Senatui; rebus tamen pacandis fit Senatuſconſultum, quo jubentur Anabaptiſtarum Doctores urbe quamprimum excedere, dato illis commeatu, quo tuto poſſent per Epiſcopi fines proficiſci. At illi abdidere ſe apud ſuæ doctrinæ ſectatores, profeſſi, Deo potius parendum quam hominibus. Creſcebat interea numerus Anabaptiſtarum, & bacchantium more alii alios ad eandem ſententiam protrahebant, nullo facto diſputandi modo. Quod ut vidit Senatus, jubet omnia templa, uno excepto, claudi: erat enim periculum, ne pars altera, quæ tunc minor eſſe cœperat, ab Anabaptiſtis pelleretur. Horum ergo doctrinæ elidendæ, Senatus etiam ab Haſſiæ Lantgravio petiit, ut eruditi aliquot viri mitterentur. Miſſi ſunt Theod. Fabritius, & Ioannes Melſingerus: quorum hic ſtatim, ſive quod deſperatas jam res videret, ſive quod ſibi diffideret, ſponte rediit: alter non ante ceſſit, quam ab adverſariis ſuis urbe ejectus eſt. Subornatus interea eſt ab Anabaptiſtis quidam, qui, quaſi numine adflatus, per compita & vicos diſcurrit, exclamans, pœnitentiam agite & rebaptizamini: ſin minus, jam ira Dei vos obruet. Multi ergo, vel quod iram Dei metuerent, vel quod ſibi boniſque ſuis, creſcente furentium turba, conſulerent, morem iis gerebant. Sub exitum Decembris quum jam prodiiſſent è latibulis ſuis occulti Doctores, facto agmine Anabaptiſtæ forum occupant, machinas bellicas educunt, Curiam quoque invadunt, magno clamore vociferantes, ut qui rebaptizatus non eſſet, interficeretur. Alii contra, in locum quendam urbis natura munitum ſeſe conferunt, atque ex eo in Anabaptiſtas forum tenentes armis rem agunt. Tandem conventum eſt, cautumque ut quiſque ſuam religionem ſequeretur. Sed Anabaptiſtæ, ut in futurum ſuis rebus conſulerent, atque in poſterum non pares, ſed ſuperiores eſſent, per Rotmannum & Bernardum Knipperdolingum in vicina oppida mittunt litteras, quibus omnes ejus ſententiæ conſortes monent, ut relictis fortunis ſuis ſtatim ad ipſos properent: ita oppleta urbe pere-

peregrinis Anabaptiſtis, oppidani, quippe in re lauta erant, ſubduxerunt ſeſe ei, quam prævidebant, tempeſtati. Hæc facta ſub initium anni MDXXXIV. Debilitatis autem alterius partis viribus, deligunt Anabaptiſtæ Senatum ſuæ factionis: creant Conſules, & in his Knipperdolingum: templum ſuburbanum Mauritii incendunt: urbem ſpoliant: eos, qui ſuæ ſectæ non erant, expellunt, bonaque ipſorum occupant. Quum autem Epiſcopus jam urbem cœpiſſet obſidione cingere, evenit multis qui urbem deſerebant, ut ab Epiſcopi copiis cæderentur. Ita coacti etiam ſunt in urbe quidam furoribus Anabaptiſticis applaudere. Quæ in urbe à fanaticis tempore obſidionis geſta ſunt, longum eſſet narrare, eſtq; res in omnium ore atque oculis. Nihil fuit indignius, quam quod ſceleribus flagitiiſque ſuis profani homines divinum quoque nomen & religionem obtenderent. Semel meliorem partem cœpit impetus vindicandi ſui, & furioſum bacchantium gregem opprimendi, ſed captis quinquaginta, & poſt multa tormenta occiſis, deſperatum eſt poſtea. Hoc tempore adſumpſit ſibi Ioannes Leidenſis titulum Regis, & ſe pro Rege, ut potuit, geſſit, uxore etiam primaria (nam plures habebat) Reginæ nomine habituque ornata, quam tamen poſtea, quod minus probaſſe ipſius actiones viſa eſſet, ipſe obtruncavit. Tandem poſt multas calamitates atque inſanias anno MDXXXV, die 27 Iunii, noctu ſub horam undecimam copiæ Epiſcopi, cui ſe junxerant Colonienſis Præſul Hermannus, & Dux Clivenſis, cum Lantgravio Haſſiæ, ſilentio ad urbem accedunt, & ducente quodam perfuga per foſſam ad vallum enituntur. Inde patefactis portis admiſſoque exercitu capiunt urbem. Rex vinctus cum ſociis ad vicinos Principes circumducitur, ac tandem anno MDXXXVI candentibus forcipibus diſcerpitur. Hic exitus fuit factionis Monaſterienſis.

Anno MDCXII, 11 Aprilis, publico omnium bonorum gaudio, ſolennibus & conſuetis ceremoniis huc introductus eſt Ferdinandus, Dux utriuſque Bavariæ, Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, Epiſcopus Leodienſis, Coadjutor Paderbornenſis, Adminiſtrator Hildeſheimenſis.

Nordrhein-Westfälisches Staatsarchiv Münster
Kartensammlung
A 11 988

1| ANT| R+11.